

lis. » Patet hoc ex cit. c. *Ad honorem*, 4, h. t. juncto c. *Cum sis*, 6, et cap. ult. eod.

12. *Archiepiscopus utitur Pallio solum in Ecclesiis sue provinciae, non extra.* — Unde imprimis archiepiscopus (idem servata proportione dicendum de episcopo, per privilegium habente usum Pallii) nequit uti Pallio in Ecclesiis alienae provinciae, utpote quae non subjacent ejus jurisdictioni ecclesiasticae: nam Pallium datur quidem personae, sed contemplatione loci, seu Ecclesiae sibi subiectae, ut probat Glossa fin. in c. *Bonae memoriae*, 4, de *Postulat. praelat.* Sic quippe, in cap. 1, h. t. usus Pallii restringitur, et conceditur archiepiscopo, « dumtaxat intra Ecclesiam suam: » hoc est (ut ibidem exponitur) « intra quamlibet Ecclesiam provinciae sibi commissae. » Adeo, ut archiepiscopus, cessante speciali privilegio pontificio, extra suam provinciam Pallio uti non possit, etiamsi ad habeat generalis ejusmodi regni consuetudo; ut c. *Ex tuarum*, 5, h. t. ubi talis consuetudo censetur dicenda esse potius corruptela.

13. *Solvitur instantia ex c. Cum sis, h. t.* — Et hac ratione explicari, ac intelligi debet cit. c. *Cum sis*, h. t. ubi dicitur, quod archiepiscopus, « ubicumque fuerit, » possit in Missa diebus solemnibus uti Pallio. Nam, ut jura juribus concordentur, ly *ubicumque* est restringendum ad quamlibet Ecclesiam provinciae suae, juxta Glossam un. cit. c. *Cum sis*; dummodo non habeatur speciale privilegium; quale cuipiam olim fuisse concessum, legitur in c. *Ex tuarum*, 5; h. t.

14. *Pallio utendum intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia, non extra eam in processio-nibus. An et in synodo.* — Deinde nequit archiepiscopus uti Pallio extra Ecclesiam, ut puta in publicis processionibus, aut si alio modo inde exire contigerit, text. clar. cap. 1, h. t. Nam Pallio est utendum intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia, can. *Pallium*, dist. 100. Quamvis ibidem Glossa un. recte dicat, quod archiepiscopus etiam in synodo possit uti Pallio: quod ipsum astruitur ex c. *Quod sicut*, 29, § *Super eo de Election.* ubi habetur, quod archiepiscopo non liceat sine Pallio convocare concilium, conficere chrismata, dedicare basilicas, et clericos ordinare.

15. *Archiepiscopus utitur Pallio in omnibus Ecclesiis suae provinciae, etiam exemptis.* — Illud praemissis est addendum, quod archiepiscopus possit uti Pallio, non solum in Ecclesiis suae dioecesis, sed etiam extra pro-

priam dioecesin in qualibet Ecclesia suae provinciae, per text. in cit. c. 1, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 9, post Hostiensem, contra nonnullos alios. Atque istud procedit, etiamsi Ecclesia illa caeteroquin sit exempta, Clem. 2, et ibi Glossa, §. *Pontificalibus, de Privileg.*

16. *Sed illis dumtaxat diebus, qui sunt in ejus privilegio expressi. Et quales hi communiter esse soleant?* — Resp. III. Tempus quod attinet, quo licitum est uti Pallio, generatim est dicendum, quod illis dumtaxat diebus archiepiscopus possit in suis Ecclesiis uti Pallio, qui in ejusdem privilegiis sunt expressi, cap. ult. h. t. Et, licet de hoc certa regula universim dari nequeat, magis tamen communiter concedi solet usus Pallii pro illis diebus, qui enumerantur parim a Glossa magna in c. *Ad honorem*, 4, h. t. partim ab Hostiensi in *Summa*, h. t. n. 5. Et sunt sequentes; nimirum Nativitas Domini, Festivitas S. Joannis, et S. Stephani, Circumcisio Domini, Epiphania, Dominica Palmarum, Coena Domini, Sabbatum sanctum, tres dies Resurrectionis, Ascensio Domini, Pentecostes, Festivitas S. Joannis Baptistae, et omnium Apostolorum, tres (vel juxta Hostiensem, quatuor) Festivitates B. MARIE, S. Michaelis, et Omnium Sanctorum, Dies Dedicationis Ecclesiarum, Consecrationis episcoporum, Ordinationis clericorum, et dies anniversarius consecrationis ipsius Pallii, nec non festivitates principales suae archiepiscopalis Ecclesiae.

17. *Potest archiepiscopus etiam sine Pallio, et sandaliis celebrare.* — Resp. IV. Potest nihilominus archiepiscopus tam in sua, quam in aliena dioecesi, celebrare sine Pallio, et sandaliis. Textus est in cap. ult. h. t. Idque merito: ne alioquin archiepiscopus impediatur a celebratione Missarum, utpote qui nec extra suam provinciam, nec semper intra hanc, cum Pallio celebrare potest.

18. *Praesertim, si celebret pro defunctis, aut privatim.* — Sic potest, imo secluso speciali privilegio debet, archiepiscopus celebrare absque Pallio Missam pro defunctis, quoties pro his incrementum Deo sacrificium offerre satagit, cap. ult. h. t. ac notat Glossa fin. et Abbas ibid. num. 6. Insuper in ipsis quoque diebus solemnibus proxime enumeratis, quando is privatim solum celebrat, et non solemniter, haud est necesse uti Pallio, can. *Pallium*, dist. 100, et notat Pirhing h. t. n. 12.

19. *Nequit alteri suum Pallium commodare.*

Pallium non transit personam, sed cum persona sepelitur. — Quæritur III. Utrum unus archiepiscopus possit alteri Pallium suum commodare? Resp. negative. Siquidem Pallium, utpote conferens plenitudinem pastoralis officii, est quid personale, et sequitur personam usque ad mortem, atque ideo alteri commodari nequit; haud obstante, quod unus archiepiscopus possit alterum invitare ad celebrandum in sua dioecesi, cap. 11, h. t. Ubi ratio hujus redditur illis verbis: « Cum Pallium personam non transeat, sed quisque cum eo debeat sepeliri. »

20. *Archiepiscopus translatus, debet obtinere novum Pallium.* — Quinimo non solum unus archiepiscopus non potest alteri suum Pallium commodare (intellige, pro utendo: scilicet, pro videndo), sed etiam, si ipsemet archiepiscopus a sua metropolitana Ecclesia per summum Pontificem transferatur ad aliam, non poterit in hac posteriori Ecclesia uti Pallio priori; sed debet obtinere novum Pallium, arg. c. *Bonae memoriae*, 4, § fin. juncta Glossa ult. de *Postulat. praelat.* ubi Papa archiepiscopo translato promittit novum Pallium, ad nomen et usum posterioris Ecclesiae; ac post Joan. Andream tradit Abbas cap. 11, n. 7, h. t. Idque fit ob rationem jam allegatam, quia videlicet Pallium datur personae, sed contemplatione loci, seu Ecclesiae sibi subiectae, respectu cujus confert plenitudinem ecclesiasticae potestatis. Unde in simili, quando archiepiscopus ex justa causa renuntiat archiepiscopatu, perdit usum Pallii, quamvis alibi ex concessione papali exerceat officium pontificale; ut c. *Ad supplicationem*, 9, de *Renuntiat.*

21. *Sepelitur tunc cum utroque Pallio, et quomodo?* — Porro in dicto casu translationis archiepiscopi, successor translatus non utetur Pallio praedecessoris sui, neque hoc debet remanere penes priorem Ecclesiam: Pallium enim non transit personam, sed debet cum illa sepeliri, d. cap. 11, h. t. Unde translatus archiepiscopus illud secum asportabit, licet ipso amplius non sit usus, sed novo dato sibi pro Ecclesia, ad quam fuit translatus. Post mortem autem sepelietur is cum utroque Pallio; ita tamen, ut ultimo Pallio vestiatur corpus ejus, et primum supponatur capiti ipsius, vel super corpus ejus ponatur, juxta Innocentium, Hostiensem, et Abbatem cit. cap. 11, n. 7, h. t. et alios. (ADNOTATIO XXXVIII.)

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

1. *Visis postulatione, electione, et translatione, utpote tribus modis, quibus beneficia ecclesiastica acquiruntur; agitur nunc de renuntiatione, per quam eadem amittuntur. Expediit tamen majoris claritatis gratia hunc titulum in paragraphos dividere.*

§ I.

DE RENUNTIATIONE UT SIC, ET AN PROPRIA AUCTORITATE FIERI POSSIT?

2. *Renuntiatio quid? quibus aliis nominibus appelletur?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit renuntiatio? Resp. I. *Renuntiatio*, prout de ipsa impresentiarum agitur, est spontanea beneficii ecclesiastici dimissio, facta, coram legitimo superiore eam acceptante. Ita Layman, in *Rubrica*, h. t. et in re communi. Nam, sicut generatim loquendo, renuntiatio est rei, vel juris spontanea refutatio, sive remissio, c. *Si quis in conscribendo*, c. de *Pactis*: ita in proposito per renuntiationem intelligitur refutatio, sive dimissio illius juris, quod quis antea in beneficio ecclesiastico habuit.

Caeterum renuntiatio beneficii solet in jure etiam appellari resignatio: ut c. *Super hoc*, 5, et c. *Quod in dubis*, 8, h. t. Item cessio; ut c. *Nisi cum pridem*, 10, § 1, h. t. Aliquando etiam ejuratio, si nimirum interveniente juramento quis se abdicet beneficio; ut cit. c. *Super hoc*, 5, cod.

3. *Debet esse spontanea; alias potest rescindi.* — Ubi simul recte notatur, quod renuntiatio seu ejusmodi ejuratio, debeat esse « spontanea; » hoc est libera, et non vi, vel metu, nec oppressionem quadam extorta. Siquidem renuntiatio coacta, licet ipso jure valeat (nam coacta voluntas, est voluntas, can. *Merito*, 15 q. 1.), parit tamen exceptionem. *Quod metus causa*, sicque ad petitionem partis per judicem est rescindenda, arg. d. c. *Super hoc*, juncta Glossa §. *Resignationis*, h. t.; Abbas, c. *Ad aures*, n. 8, et c. *Ad audientiam*, n. 4. *De iis, quae vi metusque causa*, etc.; Flamin. Parisius, de *Resignat. benefic.*, lib. XIII, quæst. 2.

n. 8; Garcias, part. XII, de Beneficiis, c. 3. n. 143; Aloys. Riccius, part. II. Praxis, resolut. 483. n. 3. post Rotam, decis. 5. de Renuntiat. in novis. et decis. 7. num. 1. eod. aliosque plures, quos citat: et concordant dicenda inferius, tit. 40. De iis, quæ vi metusve. et c. § 2, n. 26, 27 et 28. Atque idcirco in conclusione notanter additur, «spontanea beneficii dimissio.»

4. Coram quo fieri possit? — Dicitur ulterius «facta coram legitimo superiore.» Qui vel est Papa, si est dignitas episcopalis, cap. I et II. de Translat. episcop.; vel legatus a latere, c. Si Abbatem. 36. de Elect. in 6; vel episcopus, in ordine ad Ecclesias suæ diocesis, c. Admonet. 4. h. t. et can. Abbas pro humilitatione. 18. q. 2, vel prælatus ille, ad quem pertinet collatio talis beneficii. Quod ultimum licet non semper verificetur, juxta Glossam in Clem. un. §. Manibus. h. t. cum alia sit potestas conferendi, seu instituendi in beneficio; alia deponendi, seu resignationem acceptandi, quod majus est: tamen plerumque ita fieri solet ex recepta consuetudine saltem loquendo de beneficiis simplicibus, v. g. canonicatibus. Layman c. Admonet. n. 7. h. t.; Pirhing n. 69. eod. ita explicantes sententiam canonistarum, generatim docentium, quod, qui potest conferre beneficium, etiam ejus resignationem acceptare valeat: nam hoc procedit plerumque, non autem semper. Si vero ad unum pertineat præsentatio, sive electio, et ad alium, puta ad episcopum, spectet institutio, vel confirmatio, tunc ad renuntiationem beneficii requiritur consensus utriusque partis, eò quod utriusque intersit. Glossa in cit. Clem. un. h. t. In addit.

5. Facta in manibus laici, est invalida. — Porro renuntiatio beneficii nullatenus potest fieri in manibus laici: et præterquam, quod sic facta non teneat, clericus resignans tali beneficio est spoliandus, licet pœniteat, c. Quod in dubiis, 8. h. t. Idque procedit, etiamsi laicus ille sit notarius etiam Camerae vel Cancellariæ Apostolicæ, quia sæcularis nunquam potest dici superior respectu clericorum. Barbosa, in cit. Quod in dubiis, n. 3. h. t.; Flaminius Parisius, lib. VII. de Resign. benefic. quæst. 9. n. 2. et 7. ac seqq. cum aliis, id intelligentes etiam de laicis constitutis in dignitate ducali, regali aut imperiali: nisi fuerint reges habentes jus conferendi, et recipiendi resignationes ex privilegio Apostolico. (ADNOTATIO XXXIX.)

6. Nec potest fieri in manibus vicarii generalis absque speciali commissione episcopi. — Quin etiam resignatio beneficii facta in manibus vicarii generalis sine speciali mandato, seu commissione episcopi, saltem in litteris vicariatus expressa, invalida est. Rebuffus, in Praxi benefic. tit. Forma Vicariatus archiep. n. 104; Nicol. Garcias, part. XI. de Beneficiis, cap. III. n. 235; Flam. Parisius, lib. VII. de Resignat. benefic., quæst. 24, n. 1 et seqq.; Aloys. Riccius part. II. Praxis ecclesiast. fori, resolut. 471. n. 1, citans insuper Calderinum, consil. 3. de Renuntiat.; Francum, in cap. unum. 9. de Rer. permutat. in 6. Rotam decis. 43. de Renuntiat. in antiq. et communem doctorem. Idque desumitur ex c. Quæsitum. 5, de Rerum permutat. ubi præbendarum permutatio dicitur de jure fieri non posse, nisi de consensu episcopi. Et c. Dudum. § 1. de Præbend. in 6. ubi potestas recipiendi resignationes beneficiorum, et ista conferendi, æquiparantur: atqui vicarius generalis episcopi nequit conferre beneficia, nisi horum collatio sibi specialiter ab episcopo commissa fuerit, cap. ultim. de Offic. vicar. in 6.

7. Quid de capitulo Sede vacante? — Hinc etiam capitulum Sede vacante, licet possit admittere resignationes eorum beneficiorum quorum collatio simul ad episcopum et capitulum pertinet (taliam enim sede vacante potest etiam capitulum conferre, cap. un. §. 1. Ne sede vacante, et c. in 6.), non tamen potest recipere permutationem, aut resignationem beneficiorum spectantium ad collationem solius episcopi; cum nec talia sede vacante conferre possit, cap. un. de Institut. in 6. ita Glossa in Clem. un. §. Conferantur. de Rerum permutat. Flam. Parisius, lib. VII. de Resignat. benefic. quæst. 29, n. 37. et seqq. post Rotam, decis. 6, n. 2. de Rerum permutat. in novis. et aliam Rotam in una Illerden, die 6 novemb. 1545. et alios, quos citat.

8. Renuntiatio beneficiorum alia tacita. — Resp. II. Renuntiatio beneficiorum generatim dividitur in tacitam et expressam. Tacita dicitur ea, quæ fit facto aliquo resignationem significante, vel ex dispositione juris eam importante, absque ulla verborum expressione. Nam qui id facit, quo posito ex ipsius juris constitutione beneficium amittitur, seu retineri nequit, eidem tacite, seu ipso facto renuntiare censetur, licet id verbis non exprimat. Rebuffus in Praxi benefic. tit. De tacita renuntiatione, et alii.

9. Cujus varia exempla referuntur. — Exem-

pla tacitæ beneficiorum renuntiationis, per eundem Rebuffum, et alios adducta, sunt plura. I. Si clericus beneficiarius in minoribus constitutus, contrahat matrimonium: nam beneficium ecclesiasticum ipso jure vacat. cap. I. et III. de Cleric. conjugat. II. Si quis religionem solemniter profiteatur, c. Beneficium. 4. de Regularib. in 6. III. Si clericus beneficiarius, factus est miles, vel jocularior: quia censetur beneficium suum habere pro derelicto, juxta Glossam in cap. ult. §. Redierint, de Cleric. non resident. IV. Tacite renuntiat priori beneficio, qui aliud recipit cum illo incompatibile, c. De multa. 28. de Præbend. et Extravag. Execrabilis, eod. inter communes. V. Si nactus possessionem parochialis Ecclesiæ, intra annum non fuerit promotus ad sacerdotium: quia vacat parochialis Ecclesia ipso jure, sicque negligens promoveri ad sacerdotium, censetur ei tacite resignare. c. Licet 14. § fin. de Election. in 6. Idem dicendum de eo, qui patitur ab alio beneficium possideri per triennium: videtur enim illud habere pro derelicto, juxta regulam Cancellariæ «De triennali possessore.» Et generaliter, quicumque aliud facit, vel facere intermittit, propter quod ipso jure vacat beneficium (de quo in propriis locis) censetur huic tacite renuntiare. Intellige, saltem sumendo renuntiationem in latiori sensu, quatenus videlicet etiam cadit in invitum, et legitimam privationem beneficii complectitur.

10. Et quid renuntiatio tacita magis proprie? — Et notanter hoc ultimum additur: quia in alio sensu, et magis proprie loquendo, «Renuntiatio tacita» tunc dicitur intervenire, quando jura non indicant vacationem beneficii, sed solum ex facto beneficiarii præsumunt hujus voluntatem illud dimittendi. Et differt hujusmodi renuntiatio tacita a priori: quia talis præsumptio per contrariam protestationem elidi potest; non item privatio beneficii a jure inducta contra aliquid facientes, vel facere intermittentes. Exemplum talis renuntiationis tacitæ habetur in c. Ex ore, De his, quæ sunt a major. part. cap. ubi litigans super quadam præpositura, ex eo, quod colligatori suo reverentiam alias præposito debitam exhibuerit, juri suo renuntiasse dignoscitur. Aliud ejus exemplum extat in c. Ex transmissa, 3. h. t. ubi clericus repetens bona quæ Ecclesiæ suæ contulerat, illis receptis censetur dictam Ecclesiam voluisse dimittere, quam proinde amplius repetere non potest.

11. Renuntiatio expressa. — «Renuntiatio expressa» beneficii ea dicitur, quæ fit expressis verbis, aut scriptis, voluntatem renuntiandi aperte declarantibus, coram legitimo superiore eam acceptante. Et hæc adhuc duplex est: una pura, seu simplex et absoluta; alia conditionalis.

12. Renuntiatio pura, vel conditionalis. — Renuntiatio pura est, quæ fit sine ulla conditione, modo, aut pacto adjectis. Conditionalis vero, quæ fit sub certa conditione, pacto, vel modo: ut si fiat renuntiatio beneficii ex causa permutationis, Clem. un. de Rerum permutat.; vel si quis resignet beneficium in favorem tertii, v. g. ut beneficium conferatur Caio consanguineo suo, et non alias intendat resignare: quod appellant «Resignare in favorem tertii,» seu cum clausula, «Non aliter.» Insuper renuntiatio conditionalis censetur ea, in qua resignans reservat sibi fructus, vel pensionem ex beneficio; de quibus ex professo dicitur inferius § 4. et 5. per totum.

13. Beneficia nequeunt renuntiare sine consensu superioris. — Quæritur II. An clericus beneficiarius possit propria auctoritate, sine consensu superioris, beneficium resignare? Resp. I. Id regulariter fieri non potest, juxta doctores communiter. Siquidem beneficia ecclesiastica non nisi in manibus ordinarii (hoc est, ipsius auctoritate et consensu interveniente) resignari debent, can. Si qui vero, et can. Si quis presbyt. 7. q. 1. Et aliter facta resignatio non est valida, can. Non oportet. 7 q. 1. ac alibi. Et dimittens prius beneficium sine licentia sui prælati, potest compelli ad illud reassumendum, etiam per censuras ecclesiasticas; ut habetur tum locis citatis, tum in c. Admonet. 4. h. t. cum concordantiis. Accedit ratio, quia post acceptationem beneficii, et confirmationem, manet quis Ecclesiæ alligatus, quæ multiplex pateretur detrimentum; si quilibet pro libitu ei renuntiare, et veniente lupo, seu instante tribulatione, instar mercenarii aufugere, ovesque sibi creditas derelinquere valeret.

14. Neque valet consuetudo in contrarium. — Et hæc ratio tam fortiter urget, ut neque per longævam consuetudinem induci possit, quod quis beneficium, vel dignitatem ecclesiasticam, dimittere valeat sine superioris licentia: «Cum hæc non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda,» prout dicitur in c. Cum venerabilis 7. de Consuetud.

15. Quilibet potest suo juri renuntiare: quo-